Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 501

Quelle:
Copyright:

demetriane — ad beate uite ſtatum (ſpectent) *expectant*; et mendis plena eſt. Correctior paullo eſt lectio ipſorum VII. *Librorum* cum edit. *ſuprac.* comparata. Margines per totum brevibus Summariis, obſervationibusque conſperſi ſunt, idque a triplici manu. Quae diligentiſſima fuit, *Thomae* noſtri *Haſelbachii* fuiſſe videtur, id, quod et *Codex* inſequens ſuadet, quem vide.

II. *fol.* 128. p. 2. ἀδεσποτως: *Mens tua que et diſcere et multum diſcere cupit inmenſo ſapientię amore ſuccenſa etiam aliud nobis opus quod efficere deberemus iniunxit hoc eſt brachmannorum conſuetudinem uitamque monachorum* &c. Retuli in Codice ſequenti Exemplar Sec. XV. fortaſſis ἀπογραφον praeſentis, ibique notavi, quae ad hoc Opuſculum, ejusque Autorem pertinent. Ignoſcendum *Haſelbachio*, qui ad marginem adjecit: *Credo iſtum libellum etiam lactantii fore ad eundem demetrianum ad quem ſupra.*

CCLXXVIII.

U. 270 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 313. f. non una perſcriptus manu, rubricis diſtinctus, et *pro libraria Collegij Ducalis*, ut frons adſerit, teſtamento relictus a *Thoma de Haſelbach* ſaepiſſime memorato continet I. praemiſſis iis, quae *Codice praeced.* indicata ſunt, *Lactantii Libros VII. Divinarum Inſtitutionum* una cum Fragmento *de Opificio Dei* ex eo deſcriptos, et definentes in verboſam clauſulam miniatam, qua finiti dicuntur: *In vigilia Colomanni patroni auſtrie ſingulariſſimi anno — MCCCCXXXIII° per Magiſtrum Johannem römer de wildo aput ſacram Studij wyennen. vniuerſitatem* &c. Revidit illos, qui veriſimiliter deſcribi juſſit, *Haſelbachius*, notulisque adſperſit.

II. *fol.* 213. ſequitur, ut in *Cod. praeced.* Opuſculum *de Bragmanorum habitudine*, cui iterum ſua manu praeſcripſit *Haſelbachius: Credo hunc libellum lactancij ad demetrianum de quo ſupra.* At vero nactus interim alium Codicem adjecit Commercium epiſtolicum inter *Alexandrum M.* et *Dindimum* Regem *Bragmanorum* fictum illud, ut videtur ad *Plutarchi* in *Vita Alex.* et *Arriani de Expedit. Alex.* L. 7. narrationes, quibus Δανδαμις Philoſophus *Indus* eſt, neque niſi latine exiſtens, quale habes in *Ed. Biſſaei Palladio de Gentib. Indiae, Lond.* 1665. p. 85. 4. Perturbatus tamen in Codice ordo eſt, et *Epiſtolae Biſſaei* 1. 2. 3. 4. 5. nobis procedunt 4. 5. 2. 1. 3. Interim *Biſſaei* 5. quae hiat, e 3. noſtra ita compleri poteſt: nonnunquam *etiam* ſuavitate odoris vel guſtu dulcedinis aut contactus *blanda mollitie refovemur, quorum omnium ſuggerunt nobis elementa materiam, quae etiam vitae noſtrae creduntur eſſe principia, quorum permixtione* contraria humani generis &c. et in univerſum mutua Codicis et Editionis opera Exemplum multo perfectius confieri poſſet.